



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XXVI. Deum inveniri in se supra nos, dum veritatem ejus consulimus,
omnibus liquide respondentem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

memini, ex quo te didici; & in ea te invenio, cum recordor te.

N O T A E.

a Ex quo te didici; discimus Deum natura magistra cum ad rationis usum pervenimus; sed ea notitia admodum obscura est. Accedit ergo Magisterium fidei Christianæ, unde clarius nobis innotescit summum illud bonum.

C A P. XXVI.

Deum inveniri in se supra nos, dum veritatem ejus consulimus, omnibus liquide respondentem.

i. Vbi ergo te inveni, ut discerem te? Neque enim jam eras in memoria mea, a priusquam te discerem. Vbi ergo inveni te, ut discerem te, b nisi in te supra me? Et c nusquam locus, & recedimus, & accedimus, & nusquam locus. d Vbique veritas praesides omnibus consulentibus te, similius e respondes omnibus, etiam diversa consulentibus. f Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes, unde volunt, consulunt, sed g non semper, quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.

N O T A E.

a Priusquam te discerem) Non est Deus in mente & memoria nostra per notitiam claram, nisi fidei lumine illustremur. Sic S.D. non censuit se nosse Deum; nisi postquam fide magistra didicit, quis & qualis esset, ejusque cognitio ante informis

mis, & rudis, perficeretur lumine Catholicæ
veritatis.

- b *Nisi in te supra me*) id est, cognovi Deum me &
omnibus creaturis longe superiorem, in se solo
acquiescere, & seipso beatum esse.
- c *Nusquam locus*) qui Deum claudat; nulli palatio
aut sedi affixus est, ubique præsens, omnia im-
plens; & tamen accedimus ad illum per gratiam
& caritatem: recedimus per peccatum, non spa-
tiorum locorum, sed distantia bonitatis & ma-
litiae.
- d *Vbiq[ue] veritas præsidet*) ubique Deus audit preces
corum, qui ipsum consulunt pro veritate agno-
scenda, per desideria & orationes serias, ut fecit
Augustinus,
- e *Respondes omnibus*) per instinctus bonos & salu-
tares cogitationes: *bonum esse faciendum, malum fu-
giendum*, (*Etiam diversa consulentibus*) quia alius
aspirat ad divitias, alius ad honores, alius ad vo-
luptates, alius ad hæc omnia, aut pleraque: his
omnibus Deus respondet eadem, nempe *Vanitas
vanitatum, & omnia vanitas*.
- f *Li juide tu responde*) satis clare, quod testatur con-
scientia peccatis obmurmurans, (*sed non liquide
omnes audiunt*) tumultu passionum suarum impe-
diti.
- g *Non semper, quod volunt, audiunt*) quia pravis af-
fectibus impediti alia volunt, quam Deus præ-
cipit, & illos velle vult.

V S V S.

Ex his principiis illud emergit, ut qui serio ad De-
um converti vult cum S. Augustino, volunta-
tem suam divinæ conformet: magisque credat
decere servum velle, quod Domino placet, quam
ut Domino placeant, quæ servo placent, sic erit
optimus Dei minister.

C A P.